



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

In tentatione convitiarum, obtrectationum, persecutionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

ricus sis, & in præsentī casu prudentia non fuerit in Superiore, virtus verò in te probari possit.

*In tentatione convitiarum, obreſationum,
persecutionum.*

IN patientia vestra possidebitis animas vestras. Luc. 21. Considerat peccator justum, & querit mortificare eum; Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit eum, cum judicabitur illi. Pl. 36. Propter te mortificamur tota die, estimati sumus, sicut oves occisionis. Pl. 43. Tu scis improprium meum, & confusionem & irreverentiam meam. Pl. 88. Propter te sustinui opprobrium. Pl. 68. Ibant gaudentes à conspectu Concilii; quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Act. 5. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tua letificaverunt animam meam. Pl. 93. Memor esto, Domine, opprobrii servi tui, quod continui in sinu meo. Pl. 88. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os sum. Et factus sum, sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: quoniam in te Domine speravi. Pl. 37. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Pl. 38. Desine ab ira, & derelinque furorem; noli amulari, ut maligneris (convitia reddendo convitiis) quoniam, qui malignantur, exterminabuntur; sustinentes autem Dominum ipsi hereditabunt terram. Pl. 36. Suscipiens mansuetos Do-

minu,

minus, humilians autem peccatores, superbos usque ad terram. Pl. 146. Psalmum nonum leges cum consolatione, dum pateris persecutiones.

§. XI.

EXAMEN VESPERTINUM.

POSTquam sub quadrante Canonico sequentis diei meditationem cum Capitulo aliquo ex Thom. Kemp. legisti. Examen vespertinum vel fieri potest, ut pomerid. V. pag. 14. vel pro varietate sequentibus duobus modis institui. *Primo* per ruminacionem quatuor novissimorum. *Secundo* per applicationem quinque sensuum.

PRAXIS PRIMA.

DOMINE JESU Christe Redemptor, Judex, & summum Bonum meum! quia *non infernus confitebitur tibi* (fructuosè scilicet, & pœnitentia damnatorum de commissis sceleribus in æternum magis magisque cruciabit eos) *neque mors* [si eò differatur pœnitentia] *laudabit te; non expectabunt, qui descendunt in lacum* [purgatorium] *veritatem tuam* aut misericordiam, donec justitiæ tuæ, quam extra statum merendi positi placare amplius non possunt, satisfecerint. *Vivens vivens ipse confitebitur tibi,* Cant. Ezech. *sicut & ego hodie.* Hinc vivus & sanus, imprimis tibi infinitas ago gratias pro
om-